

OBSERVATIONVM METEOROLOGICARVM,
AB ANNO 1726 VSQVE IN FINEM ANNI 1736
FACTARVM, COMPARATIO.
PRAELECTIO PRIMA.

AVCTORE

Georgio Wulfg. Krafft.

§. 1.

Observationes meteorologicae, e quibus sequentes deductiones elicui, inceptae sunt a Clarissimo quondam *F. C. Maiero*, die 27 Febr. st. v. 1726. qui Vir, meritis praecipue Astronomicis spectabilis, cum 24 Nouembr. 1729 pie defunctus esset: continuatio harum observationum mihi demandata fuit, quam etiam omni qua potui diligentia et cura hucusque peregi. Cum vero vnice eum in finem observationes instituantur, vt ex iis talia deriuentur consecretaria, quae ad incrementum scientiae et theoriae faciunt: putavi numerum harum observationum per tot annos institutarum abunde iam iam sufficere, vt aliquid saltem lucis tempestatum variabilium, atque aliorum phaenomenorum huc pertinentium, theoria ex iis lucrari possit. Ex observationum sola accumulatione non emendantur scientiae Physicae, sed diffunduntur: et, mea qualicunque sententia, aliquid veri, quam primum id fieri potest, ad theoriam, et utilitatem publicam, ex iis decerpere praestat, quam eo vsque expectare, donec veritas manibus quasi palpari possit. Hoc enim saepissime moram rebus utilissimis affert nimis diuturnam: illud vero, licet
non